

CONTROVERSIÆ PHYSICÆ  
DE  
**CORPORE NATV-  
RALI PRINCIPIATO**

*Quas*  
IN ALMA ET ELECTORALI VNI-  
VERSITATE INGOLSTADIENSI

PRÆSIDE

BERNARDO FREY SO-  
CIETATIS IESV PHILOSO-  
PHIÆ PROFESSORE  
ORDINARIO

PVBLICE RESOLVIT

HYGO PERINOT RVSSEL-  
LENSIS BVRGVNDVS META-  
PHYSICÆ STUDIOSYS.

ANNO VIRGINEI PARTVS M. DC. XLIV.

MENSE JANVARIO.

INGOLSTADII,

*Typus GREGORII HAENLINI.*



DEO  
VNI ET TRINO  
PRINCIPIO ET FINI  
PATRI SVO  
TER OPTIMO MAXIMO.  
MARIAE  
VIRGINI, DEIPARÆ  
MATRI SVÆ  
TER ADMIRABILI  
TRIA

CORPORIS NATURALIS PRINCIPIA



EX ANIMO  
EX CORPORE  
EX TOTO

Offert, Dicat, Dedicas.

*Infirmus*

HVGÖ PERINOT.

## PRO O E M I V M.

**V**ARIIS olim erant Philosophorum antiquorum sectæ, tres tamen præcipuæ; Academicorum, Stoicorum & Peripateticorum: Academicorum caput fuit Diuinus ille Plato, Stoicorum Zeno, Peripateticorum Aristoteles. Hodierna Philosophia in eot ferè sectas, quæ sententias diuiditur. Duas tamen potissimum scholas sequitur, Thomistarum & Scotistarum; illorum Coryphaeus est Angelicus Doctor Diuus Thomas, cuius illustris doctrina & vita elogia Complutenses in principio Philosophiae fusè declarant: horum caput est Ioannes Dans, sive Scotus, Doctor subtilissimus & acerrimus disputator, & Conceptionis Immaculatae B. V. propugnator; ipsoe qui ducentis argumentis sibi obiectis, & memoriam retentis ordine simul responderit, & ex ea disputatione vicit audierit. Nos cum Societatis nostræ Doctoribus non ubiq. Thomistas, aut Scotistas sequimur, sed modò hos, modò illos, ubi maior veritas, potissimum Aristotelica, radix affulget. Placet proinde hac disputatione de Corpore Naturali Principiato utriusq. scholæ potissimas sententias referre, & deinde nosram, quam tenemus, subiungere.

### S. I.

#### DE OBJECTO ET HABITU PHYSICÆ.

##### I. AN CORPVS NATVRALE SIT OBJECTVM PHYSICÆ?

**N**egant Thomisti cum Masio. quæst. 6. sect. 2. Complutensis dis. i. q. 1. p. F. Joanne à S. Thoma Vl. Sipon. & Ens Mobile statuunt. Hos sequuntur è Nostris Conim. q. 4. a. 1. Tol. hoc solùm discrimine, quod hic malit vocare ens naturale, quia im mobile. Negant etiam Scottista cum Tartaret. quæst. preamb. & Fabro Faustino theor. 20. & pro objecto ponunt substantiam naturalem: hos evidenter sequi è Nostris Mend. Arrasag. Ousedo, in preambo Phys.

Affirmant apud Rubrum lib. 1. physic. Albertus Magnus, Aegidius Romanus, multij alij, quibus magis placet physica Genus proximum Corporis, quam remotum Entis, etiam cum Metaphysicâ commune.

DIC Q. I. Maxima hanc inter est quæstio de nomine. Plerique idem sentiunt; aliter loquuntur.

## C O N T R O V E R S I A E

loquuntur. Placet tamen obiectum Physice Autem unctionis nominare Corpus Naturale, quia tale, tam in communione, quam in particulari; eius enim naturam, species, proprieates & causas confidet, ita nomine Corporis tam Simplex, quam Compositum intelligatur.

### II. AN TOTALIS HABITVS PHYSICÆ SIT VNA SIMPLEX QUALITAS?

Affirmant Thomist. cum Mas. q. 3. s. 2. Compl. d. 1. q. 2. P. Io. à S. Thoma. q. 1. a. 2. quos è Nostris sequuntur Rub. in proœm. Phys. eo quod tota scientia totalis habeat unam abstractionem, Et sic ut una potentia visiva fertur in omnibus sua obiectis, et a habitu totali in omnia partiales obiecta.

Negat Scotus cum suis. Et Tartar. in quest. pream. a. 2. dub. 1. 2. Quibus accedit è Thom. Caseram. Et è Nostris pleriq. Et Suar. Molin. Fons. Mend. Arissag. Oued. ob diversa obiecta partiales, Et consequences inue habitus partiales.

Dico 2. Cum Physica, ut pote habitus totalis intellectus non sit aliud, quam vel plures species inter se coordinate, ut multi cum Oued. controv. 14. de An. p. 7. docent, vel plures partiales habitus, inter se non vniuersitatem, ut vult Suar. non potest esse una individualis, aut continua entitas, est tamen una uiritate Ordinis & attributionis ad unum Objectum formale Quod.

### III. AN PHYSICA SIT HABITVS TOTALIS SPECIE DISTINCTIVS AB OMNI ALIO?

Affirmant Thomist. & Scot. Communiter propter obiectum illius adeguate distinctionem ab aliorum habituum obiectis, ratione abstractionis propria à materia, quam triplicem distinguntur. Primum à materia individuali. Secundum à materia sensibili. Tertium à materia intellectu: Et ratiōne scholam sequuntur è Nostris Conim. in proœm. Phil. a. 1. Et pro triplice abstractione à materia triplices scientias componunt. Et omnes scientias naturales in Physicam, Metaphysicam & Mathematicam dividuntur; idem sentiunt alij D. nostri, non tamen ex eodem omnibus fundamento.

Negat Ant. Mirand. apud Peter. Maj. Oued. Et c. qui enam tantum Scientiam ratione naturalem ponit Metaphysicam, ad quam ceterae scientiae omnes, velut habitus partiales ordinantur.

Dico 3. Physica est habitus totalis distinctus ab omni alio, non propter diversam abstractionem à materia, sed propter obiectum formale Quod adaequatum & totaliter distinctum, ad quod omnes conclusiones Physicæ, quantumvis specie diversæ à primis scientiarum principiis ita secundum natura exigentiam ordinantur, ut tamen plures vel pauciores potuerint ordinari. Sicut recte nobiscum sentit Snigl. d. 17. s. 2. Oued. cont. 1. Log. p. 3. §. 4.

### §. II.

### DE PRINCIPIIS CORPORIS NATURALIS IN GENERE

#### ET SPECIE.

### IV. AN TANTVM TRIA SINT PRINCIPIA CORPO- RIS NATURALIS?

Affirmant Thom. Scot. cum communis Scholæ sua, quos etiam PP. Societas nostra commun-

constitutuerat cum Aristotele sequuntur, & tria principia Corporis Naturalis statuunt, Materiam, Formam & Prinzipium, id est in genere descripta: Principia sunt, quae negantur ex se, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia sunt.

Negant Veteres Philosophos, quorum aliqui Generant tantum principium, ex quo omnia fierent, posuerunt, illudque dixerunt esse vel DEM, vel elementum, s. g. Terram, & Herodotus; vel Aquam, & Thales, vel Aerem, & Diogenes Apollinaris; vel Ignem, & Heraclitus: eos sequuntur sequi nonnulli ex RR. qui Materiam & Formam substantialem negant. Alij duo tantum, & Pythagoras, qui par & impar (forte Materiam & Formam) sub hoc inserviuntur posuit. Alij denique infinita, & Anaxagoras, qui infinitos atomos rerum primordia fecit &c. ex quorum concretione hunc mandatum coadūisse afferebat, & ex igitur quatuor letteris omnium distinctionum Varietas existit.

Dico 4. Dantur tria principia Corporis Naturalis Compositi sūptā descripta, & quidem omnis tria in fieri; duo vero tantum in factō esse, Materia & Forma; Compositum enim priuatum Zabarella hic per se non consideramus: tria siquidem tantum ad Corporis Naturalis Compositi generationem, ut mutatio est; aut duo ad etiudem compositionem essentialiter spectant & requiruntur.

#### V. AN DETVR MATERIA PRIMA QVAE SIT SVBIECTVM GENERATIONIS

Affirmat S. Thomas cum Thom. & Scotus cum Scot. quos sequuntur Nostri cum Bananimo confessus sit, & Materiam primam si principiū rerum naturalium & totius nostra Philosophie, qui sublatā communis hodec Philosophia tollerent, & nonā pro RR. eam negligantibus esse excudenda.

Negat absolute Franc. Valles. in sacra Philosophia. c. 69. omne primum principiū generationis substantialis, quod maneat ante & post corruptionē in forma substantialis, quod materia appellatur. Cum eadem sentit apud Artesq. d. z. f. i. Comes. Per. quando negat quidem omne substantium generationis & forma substantialis, saltem mixta, illud tamen negat esse materiam primam, sed substantium aliquod ex quatuor elementis consistens, & ipsa elementa sunt esse substantias omnino simplices, omni materia carentes.

Dico 5. Datur Materia Prima, cùm sine illa nec rerum naturalium generatio, nec corruptio, nec alteratio, nec denique compositum humanum vllā ratione salvari possit. Est autem Materia Prima subiectum primum, ex quo sit aliquid, cùm insit, & si quid corruptiū, in hoc abibit ultimum: aut si negatiū describere velis: Nec est quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur. Aut Si clariū petas: Est substantia incompleta; quæ ut subiectum susceptiū alterius compartis compositū per se constituit. Comparari potest, vel ad formā substantialē, & dicitur materia in qua, vel ad compositū, & dicitur materia ex qua, vel ad agens, & dicitur materia circa quam.

#### VI. AN MATERIA PRIMA SIT PVRA POTENTIA; NIL HIL ACTVS INCLVDENS?

Affirmant Thomiste apud Mas. c. 9. qui mirantur, alios contrariorū sentire, & Complac. d. 3. q. 2. §. 2. quos ex Nostro sequitur Fons. Collégium Conim. Rub. &c.

Negat Scot. cum Scoto in 2. dist. 11. q. 1. quos sequuntur ex Nostro Suar. d. 15. Metaph. f. 5. Tol. & communiter alijs, cùm includat sūlitem altius extititum effientia & extititum metaphysicum.

Dico 6. Cùm materia Prima per se sit verum ens reale à parte rei existens, non potest esse pura potentia, cùm actum essentiaz & existentiaz inuoluat, adeò que sit positio extra potentiam obiectivam, idque illi per se, non tantum ratione formaz competat, à qua suam entitatem & existentiam quasi emendicet, ut tamen *Complut. cum Thom.* contendunt.

### VII. AN MATERIA PRIMA SIT ALIQUO MODO POTENTIA ACTIVA?

Negant Thomistæ apud P. F. à S. Thoma. q. 3. a. 3. qui sicut nullam propriam entitatem & existentiam materię concedunt, ita nec operationem, adeò & nec relationem seorsim. Secundum se sumpta producere posse, liceat relatio ponatur esse modus. Hos sequuntur Vag. rom. 2 p. 1. d. 196. ita, Et materię nec suarum proprietatum sit operativa.

Affirmat Suarez. tom. I. d. 13. f. 4. eamq. attuam esse puras respectus suarum proprietatum. Mend. d. 2. f. 10. medium inuenit, Et utrampq. sententias probabilem esse dicit.

Dico 7. Cùm omnis natura sit principium-motus eius, in quo est, materia autem sit natura saltuum passiuæ, non tantum respectu compoſiti, sed & suarum proprietatum, erit principium quoque passiuæ, & actuum respectu suarum proprietatum, per emanationem, ne & quantitatem & subsistentiam &c. aliosque illius modos omnes creati à Deo aut ab extrinsecorantum agente generari sit afferendum.

### VIII. AN POTENTIA MATERIAE PASSIVÆ REALITER DISTINGVATVR AB. ILLA?

Negat S. Thomas cum Thom. apud Maf. f. 1. Phys. q. 7. P. F. à S. Thoma q. 3. a. 4. quos sequitur è Nostri Mend. d. 2. f. 2. n. 19. Arr. d. 2. f. 3. subf. 3. Et alijs periq.

Affirmant Scot. cum Fabro Fauent. theorem. 23 cum quib[us] senis è Nostri Perer. l. 5. c. 21. Et velut proprietatem aliquam à materia essentia distinguunt, eo modo, quo mollesces & flexibilis est cera naturam consequitur.

Dico 8. Potentia materię passiuæ, qua formas recipit, (non tamen in genere causa materialis) est essentia materię, ab eaque nec realiter strictè, nec formaliter distincta, saltem radicaliter sunt; proximam enim eius potentiam saltem formaliter distinguunt, videtur obscuræ, cum & per se ipsam immediatè, & per potentiam ex te resultantem possit saltem concipi formas recipere, non minus, quam anima per se ipsam, aut per potentiam à se distinctam, secundum aliquos suos auctus exercet.

### IX. AN PERFECTIBILITAS SIT RATIO FORMALIS SUBIECTI IN MATERIA PRIMA?

Negant Scot. & Thom. communiter cum S. Thoma & Scoto. quia rationem potentia passiuæ formaliter in materia constituant, quod forma speciem composito, non item materia tribuat. Sed & materia Corpus Naturale suo modo specificat, etiæ speciem tribuit, cum ratio speciei ad aquam à materia & forma desumatur. Negat etiam Suar. d. 13. f. 8. qui in subiecto eductum, Mend. d. 2. f. 2. qui in subiecto denominatio, Arrig. d. 2. f. 3. subf. 3. qui in prioritate & præexistentia materia ad formam, & apud eundem alijs cum dicit. in indifferentia materia ad plures formas conceptum essentialiter & metaphysicum conseruant.

Affirmat Quiedo Cont. 2. p. 3. §. 3. qui in sola perfectibilitate materiae essentialiter conceptum materię constituit.

Dico 9. Conceptus essentialis potentia subiectuæ videtur in perfectibilitate. confit.

constituentibus; ita ut si duo inter se vniuantur, quorum unum sit perfectibile, alterum vero perficiens, hoc rationem actus & forma, illud rationem subjecti & quasi materia habeat, cum proinde in composito substantiali materia sit perfectibilis; & forma perficiens, illa subjecti, haec forma rationem sustinebit. Porro perfectio actus in eo consistit, quod est comparti sua præstantiora nobilioraque prædicata in composito suo communiter, quam accepit, perfectibilis vero subjecti, quod eadem illa prædicata non ratione sui, sed ratione composita sua comparte participet. Quod si et qualis virtusque partis perfectio sit, neutra rationem subjecti aut actus habebit, hec nec in partibus continuit altera ultra pars alterius subjectum, aut forma est, cum neutra ab altera perficiatur, quia tamen & terminus perfectibilis esse potest, ideo ad rationem subjecti recte cum Aliaga p[ro]texta sententia requiri videtur.

### X. AN MATERIA PRIMA HABEAT POTENTIAM NATURALEM AD OMNES FORMAS ETIAM CORRUPTAS?

Negat cum Thom. *Masium lib. I. Phys. q. 8.* materiam esse in potentia naturali ad recipiendas omnes formas substantiales, sicut celestes: ininde & accidentales spirituales, & artefactas, multo minus ad corruptas, cum omnis potentia naturalis prima debeat respondere actua naturalia, qua tamen respectu harum formarum de falso non datur.

Affirmant *Comm. uniter Nostri Cum Mend. d. 2.5 3. §. 36.* et quod sit potentia passiva omnium formarum est, naturaliter appetas.

Dico. io. Materia Prima habet potentiam naturalem ad omnes formas, tam naturales, quam supernaturales, tam substantiales, quam accidentales etiam corruptas, quamvis enim per accidens impeditur supposita extrinsecâ lege Dei, qua constituit non concurrere, ad productionem formæ corruptæ, nihilominus tamen est in potentia naturali ad eadem, quantumuis agens naturale esse actuare non possit.

### XI. AN MATERIA I. HABEAT APPETITUM AD OMNES FORMAS?

Negat ab solutè apud *Complut. d. 3. q. 8.* omnem appetitum materia D. Iustinus Martyr, & apud *Conim. Ascenna. l. 1.* Et apud Rüb. Albertus Magnus.

Affirmant tamen Thom. apud *Complut.* loco cœ. cum quibus sententiis Nostri, et videlicet apud Rüb. & Mend.

Dico ii. Appetitus materiæ distinguitur ab eiusdem potentia solùm ratione, eo quod præter capacitatem & aptitudinem dicat inclinationem ad bonum huius perfectivū, ita vel desiderij est, vel simplicis complacentia. Porro appetitus materia scitur in omnes formas substantiales & qualiter, non simul, sed successivè, saltē ex parte obiecti habendae: nec magis nobilorem, quam igit nobilitatem appetit. Non obstat, quo minus appetitus qui si desiderij feratur materia in formam etiam eo instanti, quo ex illa educitur; desiderium enim non distinguitur ad qualiter à simplici complacentia per solam absentiam obiecti.

### XII. AN MATERIA I. ESSENTIALITER RESPICIAS FORMAS SUBSTANTIALES IN COMMUNI?

Affirmant cum S. Thoma Thom. apud Ioannem & S. Thoma, *Masium l. I. Phys. q. 8.* Quos sequuntur è Nostris, qui communem aliquam rationem à parte rei in formis substantiis agnoscunt.

Negant *Hartadus d. 8. Phys. 3. Arr. d. 7. f. 3.* *Onseido* &c. eo quod nullam rationem

## C O N T R I O V E R S I A

nem communem in omnibus formis agnoscant; quia à materia resipi posse.

Dico 12. Materia I. respectu essentiali & transcendentali refertur ad formam tanquam ad actum se pertinente. Reipicit autem omnes formas tam substanciales, quam accidentales, tam in communi, quam in particulari, eo tamen discrimine, ut formas substanciales in communi primariò, accidentales vero & in particulari secundariò tantum resipiciat. Vnde non male inseritur implicante una formā in particulari totam materiam implicaturam, saltem Physicè; item cognitā materia & essentiā comprehensiūe (non quidditatūe) omnes formas in particulari cognoscendas ab intellectu obiectivè nō abstrahente.

### XIII. AN MATERIA I. HABEAT PROPRIAM EXISTENTIAM?

Negant Thomistæ communiter, ita & hoc sit constans & perpetua sententia scolastica D. Thomæ, inquitur Compl. d. 3. q. 5. §. 2. ex eo possimur, quia materia I. est pura potentia, nullum omnino actum includens, supponiturque essentia & quatuor cunctæ rerum ab earum existentiis omnino ex natura rei distinguuntur.

Affirmant fere omnes Scriptores Speculatorum (inquit ydēm Compl. q. 5. §. 1.) grossim proinde referre superfluum est:

Dico 13. Materia I. habet propriam existentiam & distinctam ab existentia formæ propter distinctam essentiam, & actionem illius productivam; aut certè concedendum foret idem sibi ipsi, aut duas res sibi inuicem quoad primam existentiam posse esse, mutuò causas. Pierterquam quod materia sine omni forma substantiali existere possit, in modo eti si sine formalib[us] substanciali nec per absolutum Dei potentiam esse posset, non tandem inde inferatur, materiam non habere propriam existentiam; nec enim forma etiam secundum Thom. existere potest sine materia, & tamen habet propriam existentiam. Fundamentum Thom. inter existentiam & essentiam alibi refelletur.

### XIV. AN MATERIA I. EXISTERE POSSIT SINE OMNI FORMA SUBSTANTIALI?

Negant Thom. communiter apud Compl. d. 3. q. 6. Mas. I. I. Phys. q. 19. Ioan. à S. Thomæ. q. 3. art. 2. Cum enim materia non habeat existentiam, nec habere posset, nisi per existentiam formæ sine illa nunquam in rerum natura existere poterit, nec propriaci cōveniens illâ ratione, cum sit pura potentia omninem excludingens actum.

Affirmant Scoti, cum Scoto in 2. Sent. d. 12. q. 2. & in 4. d. 11. q. 3. qui docet, quando homo moritur, manere de facto Corpus sine illa forma substantiali distincta à forma Corporis restans, eus multum suffragantur SS. PP. aliqui, afferentes, materiam in intima mundi informem extuisse, quin & Theologi aliqui qui crediderunt post mortem Christi emanasse Divinum illud Corpus sine illa forma substantiali. Scotti si quoad possibiliter ait Nostris cōmuniter accedunt, ita & nec à posteriori materiam à forma dependere in existendo non obscurè insinuente Arr. & Ouid. contra Communem aliorum opinionem;

Dico 14. Materia sine omni forma substantiali nunquam de facto existit, nec sine omni accidentalis existere potuit, non tamen tanta Connexio est inter materiali & formam, ut per absolutum Dei potentiam sine omni forma substantiali existere non posset, etiam eo casu, quo non haberet existentiam à forma distinctam. Quia de facto ita quidem existit cum aliqua forma, ut ab ea nec à priori, nec à posteriori probabiliter dependeat, cum nulla causa à suo effectu absoluto in existendo dependeat, nisi quem per naturalem resultantiam & emanationem ex se se effundat.

### XV. AN.

**XV. AN MATERIA SINE FORMA SUBSTANTIALE EXISTENS FORTIORI DEI CONCVRSV CONSERVARETVR?**

Affirmant *Contra. Ions.*, eo quod suppleretur a DEO, quidquia forma auctuando materia præstat.

Negant *Suar. d. 15. s. 9. Mend. d. 2. c. 6.* ex RR. pleriq. eo quod nullum formæ influxum sine actionem conservanem DEVS debeat supplerre.

Dico 15. Talem influxum non fore fortiorum, adeoque foret eadem conservatio, quæ prior entitatiæ, forte tamen esset Supernaturalis, saltem quod modum, si materia a posteriori dependet ab existentia formæ; consideret autem ea supernaturalitas partim in voluntate DEI de præbendo concursu materiæ carenti omni formæ substantiali materia et sic secundum præsens DÆ decretum indebito, partim in negatione formæ, quæ semel producitur materia produci debebat iuxta præsens DÆ decretum, sicut conservatio ignis Babylonici fuit secundum substantialiam naturalis, quoad negationem vero cælefactionis secundum modum fuit supernaturalis.

**XVI. AN MATERIA PRIMA HABEAT EX SE VNITATEM SPECIFICAM?**

Negant Thomistæ materiam Primam habere ex se ullam speciem positivam, sed omnem speciem accipere a formæ vel à toto, solùmque dicitur nam specie negative, per remotionem omnium formarum distinguenterum, quia in se Cælestis ex se nullum habet principium, ex quo talis unitas oriatur.

Affirmant *Nostræ communiter*, Cælestis omnes quotquot materia propria existentiam concedunt, cum constet genere Cælestis differentiam saltem incompletam, eo ramen discrimine, quod aliquis ad speciem infinitam renoveret omnem materiam de facto existentem etiam sublunaræ quam cælestem, alij & has duas materias specie distinguant.

Dico 16. Materiam in se & per se est species incompleta substantialiæ diuersa per ordinem ad formas, quibus variari aut substantiæ potest, adeo ut pro diueritate specifica vel uniorum vel formarum, ad quas ordinatur materia, non minus speciem sumat, quam potentia actiua à diuersitate actu, quos efficere potest, de facto existens tam sublunaræ quam cælestis videtur esse speciei infinitæ: aliam tamen possibilem esse diuersæ speciei nullo modo videtur negandum, cum possibilis sit materia, quæ tantum vnam formam aut unione respiciat &c.

**XVII. AN MATERIA PRIMA HABEAT EX SE VNITATEM NUMERICAM?**

Negant iterum Thomistæ apud *Maf. l. 1. Phys. q. 13. a. 3. Compl. d. 3. q. 4.* eo quod nullam per se inuoluat entitatem positivam, sed tantum negativam, quatenus ex se non habet plures formas etiam numero distinctas.

Affirmant *Omnes*, qui materia propriam unitatem Specificam, licet incompletam nobiscum tribuunt, ut etiam inter unitatem specificam Cælestis numericam proportione serueretur.

Dico 17. Materiam Prima habet in se unitatem quoque numericam, cum habeat propriam singularitatem & individuationem, ita tamen est una numericæ, ut pro multitudine formarum substantialium numericè quoque dividatur, unde materia continua duabus formis substantialibus etiam secundum diuersas partes informari non potest.

**XVIII. AN SINT FORMAE SUBSTANTIALES?**

Negant *verses Philosophi*, qui tantum unum principium materiale admiserunt;

# C O N T R O V E R S I E

item R.R. aliqui ; qui omnem compositionem ex materia & forma tollunt ; aut non nisi ex accidentali admittunt , & apud Mas. Galenus l. 1. de elem. cum medicis quibusdam , quis in corporibus simplicibus præter primas qualitates nullam formam substantialis agnoscunt , imo etiam in mixtis , in quibus corundem temperamentū per solam qualitatū combinationem absq; formam substantialis constituant.

Affirmant Thom. Scot. & Peripatetics omnes , in dñō de fide est , de anima rationali , eam esse formam hominū ; de formis sublunaribus aliarum substantiarum , est euidens , de formis calorū in acalestib; satis probabile.

D I C O 18. Datur forma substantialis , vt materia velut substantia incompleta per eam in ratione substantiæ compleatur , & vt detur aliquod principium in substantia composita operationum immanentium v. g. reductionis aquaz ad pristinum frigus &c. quod si ne forma substantiali , vix poterit explicari . Est autem forma substantialis secundum Aristotelem Ratio quod quid erat est rei ; vel clariss & breuius , est actus primus substantialis corporis physici .

## XIX. AN FORMA SIT TOTA ESSENTIA CORPORIS NATURALIS ?

Negant Thom. & Scot. apud Compl. d. 6. de Composito q. 1. §. 2. cīq; , inquit , inter omnes D.D. communit.

Affirmant tamen apud eosdem Auerr. Iandun. &c. quibus evidetur accedere q; , quis speciem & essentiam compositionem à forma , non à materia desumunt.

D I C O 19. Forma non est tota essentia compoluta , saltem in composito humano ; aliás enim omnis homo verè esset immortalis & incorruptibilis , & anima Ch. illi in tri-duo mortis homo ; nec per corpus , sed solum per animam esset dñm iudicandus homo .

## XX. AN FORMA MATERIALIS EDVCATVR EX MATERIA ?

Negarunt Veteres Philosophi apud Suar. d. 15. Metaph. s. 2. quorum aliquis existimat , omnes formas semper esse in materia , & secundum aliquid sui : Alij verò putant omnes formas non minus quam animam rationalem in rebus , & à Deo , & ab intelligentia , quam Averroen . Metaph. apud Mas. l. 1. phys. q. 8. Colchodeam & ductrinem formarum appellat , ex eo fundamento ; ex nihilo nihil fit .

D I C O 20. Certum est formas materialis educi posse , ita , vt nec creentur , nec secundum aliquid sui præexistant in materia , sed generentur , quamvis enim producantur ex nihilo sui , non tamen ex nihilo subiecti . quod ad generationem , prout creationi opponitur , sufficere apud plerosq; est receptum .

## XXI. AN FORMÆ COELORVM ET ELEMENTORVM EX MATERIA SINT EDVCTAE ?

Negant communiter Thom. apud Compl. d. 4. q. 2. §. 2. Ioannem à S. Thom. q. 4. art. 2. eo quod non sint producta per mutationem & transmutationem materia . Quibus è Nostris accedunt aliquicunq; Suar. disp. 15. Metaph. s. 2. qui docent , formas celorum & elementorum esse materia concreatas . per diffinitionem tamen actionem .

Affirmant ex Nostris Vasq Molin. apud Rub. l. 1. Phys. tr. 2. q. 2. Cum quibus

D I C O 21. Non tantum forma celorum , saltem celi Empyrii , item aquæ & terræ in prima mundi creatione , sed etiam quotidie , quando ex speciebus sacramentalibus generatur substantia , forma illius substantialis ex potentia materiæ propriæ educitur per actionem omnino distinctam , quæ tamen non sit mutatio aut transmutatio , quantumuis à creatione materiæ realiter distincta ; quin tamen per unam indivisiibilem actionem

actionem materia & formæ et ceterorum simul produci potuerint, non est negandum, id tamen necessum non fuit, nec secundum exigentiam illarum formarum fuisset.

## XXII. AN EDVCI EX MATERIA SIT PRODVCI DEPENDENTER AC AVSA MATERIALI?

Affirmant Thomistæ apud Compl. d. 4. q. 2. §. 2. Et 3. ite Maj. l. 1. Phys. q. 12. Ioannes à S. Thoma, Et insuper requirunt, ut ex ea eiusdem actionis, non cuiuscunq[ue], sed propriè mutantis Et transmutantis causam materialē educatur. Quoad causam materialē plerique et Nostris consenteunt, quoad mutationem Et transmutationem discentiunt.

Negare videtur Arr. d. 3. s. 4. Ebi non requirit dependentiam forma à causa materiali ad educationem, sed quamcumq[ue] aliam dependentiam ab alio sufficere existimat, ex eo potissimum, quod omnem causalitatem materia in formam videtur esse negare cū Lefro l. 3. de summo bono n. 49. in hanc sententiam etiam inclinante, Et licet d. 8. s. 1. n. 3. existimet, causam materialē esse veram causam reflexa forme, id tamen autoritas, non rationis concedit.

Dico 22. Formam educi de potentia materiæ nihil aliud est, quam produci per actionem intrinsecè dependentem à subiecto ut à causâ materiali, siue per mutationem & transmutationem, siue nudam productionem à subiecto, cum aliâ creatio animæ rationalis in sententia Arriag, vix sufficienter ab educatione secerni posset. Non autem requiritur mutatio aut transmutatio, cum in primo instanti quo creatur materia, forma educi possit, & de facto sit educta absque mutatione & transmutatione.

## XXIII. AN PLVRES FORMÆ SUBSTANTIALES SINT IN VNO COMPOSITO NATVRALES?

Negant cum S. Thom. etus Discipuli apud Suar. d. 13. s. 3. Quos sequitur ipse Suar. cum plerisq[ue] è nostra Societate, saltem Recenscribant.

Affirmant Scotistæ cum Scoto suo, qui prater formam totius admittant formam corporeitatis, in omni vivente, vel saltem in homine. Quibus accedunt, qui distinguunt formas substantiales secundum diversos substantia gradus, nempe inanimata, vegetabilis, sensitiva, Et rationalis. Eosdem sequuntur Medici cum Galeno Et Aucenna, qui in quolibet mixto quatuor formas elementorum prater formam mixtæ admissunt. Plurimi denique pro diversis partibus heterogeneis in composito vivente diversas partiales formas eadæ substantiales prater totalem agnoscunt.

Dico 23. Formis elementorum in mixtis, & formis partialibus in viventibus a liò remissis, in corpore naturali formæ substantiales non multiplicantur pro multitudine prædictorum essentialium, cum id necessarium non sit, nec in substantia spirituali, v. g. Angelo, aut materia concedatur. Nec datur forma Corporeitatis distincta à forma totali corporis naturalis, & vno verbo plures formæ totales substantiales in eadē materia naturaliter de facto nullib[us] tantum sunt, quantumvis plures accidentales formæ non tantum numero, sed etiam specie distinctæ in eodem subiecto reperiantur.

## XXIV. AN PLVRES FORMÆ SUBSTANTIALES TOTALES POS. SINT ESSE SIMVL. IN EADEM MATERIA, SALTEM DIVINITVS?

Negant Thomistæ. Cum Maj. l. 1 phys. q. 4. Compl. d. 4. q. 6. §. 2. Quos sequitur B. 2. e No-

*et nostris Vasq. apud Onied. Controu. 8. p. 2. §. 2. Quia duæ formæ substanciales sunt seorsim immediate incompatibilis.*

Affirmat è Nostris Saar. Fons. Rab. Mend. Arr. Oniedo et communiter Nostris, ex quod expulsio formæ praexistentis sit tantum effectus secundarius formæ introductæ, qui à DEO potest impediens.

Dico 24. Cùm diuinitus duo contraria possint esse simul in eodem subiecto, non videtur diuinæ potentiaz denegandum esse duas formas substanciales simul in eadem materia ponit, cùm non sit maior repugnans, quād duo corpora in uno loco constitui, quod si fieret, nec vnum, nec duo adæquatè corpora naturalia essent, nec vnum de altero formaliter prædicaretur, dicendo v. g. Lignum est ferrum. Nec denique repugnat, vnam formam plures materias simul informare, sicut non repugnat, vnum corpus in duobus locis replicari.

#### XXV. AN PRIVATIO SIT PRINCIPIVM REALE CORPORA NATVRALIS INTRINSECVM?

Negat Petrus Gregorius Tholosanus l. V. Doctor et Professor lib. II. Synt. artis mirabilis c. 8. quem sequitur apud Massium lib. 1. physic. q. 3. Petrus Peramus in suis operibus medicinalibus in libello de elementis c. 1. qui volunt nec esse principium per se nec per accidentem, cūmnihil sit, et possit habeat rationem finis aut medij, quād principiū.

Affirmat tamen Aristoteles cū communi Peripateticoru scholæ esse principiū corporis naturalis in fieri: immo et in facto, sine compositione, esse contendit Zabarella in Composito saltem priuatione.

Dico 25. Priuatio in genere non est ens rationis, vt vult Massius lib. 1. physic. q. 2. sed negatio formæ saltem ut unitæ in subiecto apto secundum rationem specificam vel genericam. Est principium intrinsecum generationis ut mutatio est, velut terminus à quo, qui non minus essentialiter & intrinsecè ad mutationem requiritur, quād potentia & actus. Priuatio proxima, quam omnino dari posse existimamus, principiat non quidem existendo, sed desinendo per primum sui non esse, quatenus tamen generatio actio solùm est, priuationem non requirit, sed solùm ut est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente. Porro multiplicatur priuatio numero vel specie pro diversitate subiecti vel formæ, non autem penes distinctionem specificam, vel numericam agentium extrinsecorum, vnde licet eadem numero forma redire naturaliter non possit, eandem tamen numero priuationem ipsis repeti nil vetat.

#### S. III.

#### DE VNIONE INTER MATERIAM ET FORMAM.

#### XXVI. AN VNIO SVBSTANTIALIS SIT MODVS AB EXTREMIS REALITER DISTINCTVS?

Affirmant Thomistæ communiter paucis exceptis apud Compluti. Disput. 6. q. 2. §. 2. quos sequuntur è nostris Suarez, Vasquez, Arriaga et Oniedo cum tota fere nostra Theologia et Philosophia.

Negat tamen Greg. de Val. tom. 4. Disput. 1. q. 1. p. 2. Vaddingus tom. de Incarnatione et Thomistis apud Mendoza de Incarnatione disq. 1. lett. 2. Paulus Naz. artus q. 2. a. 8.

Dico 26. Datur in Composito substanciali etiam purè materiali Unio realiter modus.

modaliter ab extremitatibus, aut eorum connotatione distincta; sine entitate enim saltem modali nec mysterium Incarnationis, nec compositum humanum, nec nullum aliud sufficienter, clareque explicatur nisi forte per instantias entitate modali longè difficiliores, & quibus ipsa ferè Theologia succubbat.

### XXVII. AN VNIO SIT MODVS SPECIALIS A CETERIS OMNIBVS POTISSIMVM EDVCTIONE REALITER DISTINCTVS?

Negant Thomistæ apud Ioannem de S. Thomâ q. 6. a. 3. qui ab actione eductiva, & scotista qui à relatione inter materiam & formam, non distinguunt Unionem, quae aliquo modo sequuntur id, qui Unionem partium identificant cum substantia aut insimul praesentia extremitorum.

Dico 27. Cum possit esse actio eductiva sine Unione, aut Unione sine actione eductiva formæ, ut sit in composite humano, rectius ab actione eductiva distinguitur Unione, præterquam quod alias variatæ actione eductivæ semper Unione variaretur, inquit secundo instanti Conseruationis esset diuersa, ab ea quæ primo instanti fuit producta, cum actio eductiva ordinariè muretur in conseruatione. Taceo quod alias in conceptu essentialiæ compoſiti accidens inuolueretur, ob quam causam etiam vel solam à presentia quoque erit distinguenda.

### XXVIII. AN DVPLEX SIT VNIO IN COMPOSITO SUBSTANTIALI?

Affirmat Scotus cum scholâ suâ cum Unionem in relatione constituant; sicut enim per Unam relationem (posito quod sit modus) non verumque extrellum mutuò refertur, sed per duplum, ita nec per Unam Unionem & trumque extrellum & unum, sed per duplum; idem sententia apud Complut. Durandus in 3. diff. 15. q. 3. Ex nostris quoque Hurtadum Mendoza Disput. 5. sect. 7. subsect. 2. duplum Unionem constituit.

Negant Thomistæ apud Complut. Disput. 6. q. 3. quod sequitur communis ferè DD. nostrorum sententia cum Suarez, Vasquez, Arrigâ & Ouseido, eo quod duplex non sit necessaria.

Dico 28. Non est excogitabilis Unione inter duo extrema, siue inter materiam & formam, quæ non utrumque extrellum strictè & propriè unitat, unde duplex Unione omnino est frustranea, etiam in Composite humano, ne si altera spiritualis & indivisibilis ex parte animæ admitteretur, toties & adæquatè quidem sit corrumpenda, quoties minima pars corporis tolleretur.

### XXIX. AN VNIO SUBSTANTIALIS EX SOLA MATERIA EDVCATVR?

Negant Thomistæ apud Complut. Disput. 6. q. 3. §. 4. n. 48. & in Gerag. parte compositionis ponentes: quibus est nostrum accedit Arrig. Diff. 4. lett. 4. subsect. 4. tamq; intentionem vocat communitem, quod non sit ratio, cur potius in Uno, quām in altero extremitate, maximè si verumque sit materia. Suarez Diffus. 15. sect. 3. in fine n. 9. vult Unionem quoque hominis educere non solùm ex materia aut formâ, sed ex veroq; simul tanquam substantiæ adequato, quānus Diffus. 13. sect. 9. n. 13. Unionem inter materiam & formam potius se tenere ex parte formæ, & absoluere vult Vasquez, quām materia, forte minus consequenter, afficeret. Thomistæ accedunt scotista cum Mendoza, qui veroq; extremitates suas Uniones educunt, & verumque perficiantur & constat.

Affirmat Albertinus tom. 2. Coroll. de predicatione subsect. q. 5. Rub. lib. 1. physic. lib.

4. n. 65. Oviedo Cont. 4. p. 3. n. 2. Et 3. quamvis in neutrā partē se omnino declaret, solum in materia Unionem subiectari, et ad formam intrinsecē terminari.

Dico 29. Probabilis est Unionem Substantialem Compositi creati, in utroque extremo recipi quidem ut in subiecto, in materia tamē solā, ut in subiecto substantiationis, in formā verō, non solum ut termino, sed ut subiecto saltem receptionis, cum necessarium non sit ex utroque extremitate educi, & materiæ potius quam formæ conueniat esse subiectum educationis. Vtrumque prouide extrellum Unio creata ut subiectum afficit, cum utrumque ab eadem perficiatur & ei præsupponatur.

### XXX. AN VNIO SVB STANTALIS CREARI POSSIT?

Affirmat Mendoza Disput. 12. physicae scilicet. 5. Arriaga Disput. 4. physicae scilicet. 4. fab. scilicet. 5. Oviedo Contro. 13. p. 5. Et hanc difficultatem vocat facillimam; cum creatio solum dicat negationem dependentia est à causa materiali, non autem connexionem cum altero quamcumq.

Negat Suarez, tom. 1. Metaphys. Disput. 15. scilicet. 2. eo quod omnis modus etiam Unio nisi essentialiter dependere videatur in fieri ab aliquo subiecto et suo modificato.

Dico 30. Unio quidem de facto etiam in Composito humano per veram generationem, non solam emanationem per modum proprietatis producitur; nihilominus etiam sicut omnis modus exceptiā solā passione creari potest, ita etiam Unio substantialis, licet enim essentialiter scipio subiecto ut modificato inest, non tamē ut à subiecto educationis dependet; unde & per distinctionem actionem eam produci est necesse: Dicitur substantialis, vel quod partes substanciales vniat, sicut inherentia accidentium est accidentalis, vel quod Composito sit essentialis.

### S. IV.

## DE COMPOSITO NATURALI EIVSQUE NATURA. ET ARTE.

### XXXI. AN TOTVM COMPOSITVM DISTINGVATVR A SVIS PARTIBVS?

Negant Thomistæ apud Masium lib. 1. Physic. Et Complut. disput. 6. q. 4. §. 3. quos sequuntur communiter nostrorum Suarez, Rubio, Hurtado, Arriaga, Oviedo. Pererunt tamen problematicè defendunt Anicenna lib. 7. sua philosophia.

Affirmant Scotistæ apud Suarez, disput. 26. scilicet. 2. quos videtur eriā sequi è nostro Conimbric. qui apud Oviedū c. 5. p. 1. totū realiter distinguunt à Materiâ, Formâ et Unione. Vasquez apud eundem admittit in composito substanciali modum quendam substantialem derivatum à formâ, distinctum ab ipsa et Unionis modo contraphilosophos, qui tantum admiscebant in composito substanciali materiam, formam et modum Unionis; cum Thomistis tamen in eos sentit, quod totum non distinguat ab ipsis quatuor, sic illi non distinguunt ab omnibus tribus simul sumptis.

Dico 31. Non distinguitur Compositum à Materiâ, Formâ & Vione simul sumptis in recto, nec realiter nec ratione ratiocinata, sed ad summum ratione ratiocinantes, nec ullus modus distinctus à forma substanciali in materiam derivatus materiæ praeter entitatem formæ cōmunicatam est Vasquio concedendus, cū omnino sit superfluous.

### XXXII. AN COMPOSITVM SIT POSSIBILE CONSTANS SVBIECTO ET FORMA SPIRITALI?

Negat

Negat Hurtadus *disput. 2. de Anima* *scit. 2. Suarez*, p. 2. *disp. 13. scit. 14. n. 14.* *Ebitamen* *est se conclusionem suam non inuenisse apud autores, sed tamen ex ijs se colligere.*

Affirmat Arriaga *disput. 1. de Anima* *scit. 5. Oñedo Cont. 5. Physicā* p. 3. cū quibus.

*Dico 32.* Nulla est implicantia substantiae spiritualis ex duabus partibus essentialibus compositorum; imò nec videtur repugnare compositum naturale omni potentia & actioni substantiali delictum.

### XXXIII. AN POSSIT DARI CORPVS NATVRALE OMNINO SIMPLEX SINE COMPOSITIONE ESSENTIALI PARTIVM?

Negant Thomistæ cum Scotistis *de facto dari corpus simplex apud Suarez* *Disput. 13. l. mō nec dari posse existimat ē nostru Mendoza* *Disput. 1. de calo* *scit. 1.*

Affirmat tamen *de facto nullus dari Suarez* *Disput. 13. scit. 10.* *Et de possibili hix dubitant Arriaga* *Disput. 5. scit. 3. Oñedo Contro. 5. p. 5.*

*Dico 33.* Probabile est posse dari Corpus omnino simplex non Compositum ex materia & formâ, ex quâ tamen possibilitate non admodum philosophicè Suarez actualem eiusdem existentiam saltem in celo empyrio cum aliquibus deducit; meminerint, inquit Mendoza, summistici illius Canonis: à potentia ad actum affirmatiū non valeat consequentia. Nec etiam videtur repugnare Corpus omnino omnino parte non tantum essentiali sed etiam integrante delictum, eo solum fundamento in his questionibus resoluendis solido & solenni, quia non implicant Contradictionem.

### XXXIV. AN IN COMPOSITO NATVRALI SOLVM PRINCIPIVM PASSIVVM SIT NATVRA?

Negant Thomistæ cum Masolob. 2. physic. q. 6. *quisam Principium actuum quidam passivum natura nomine dignantur; quibus ex parte accidunt ī, qui non nisi Principium actuum cum Averinna, aut necessariō saltem etiam actuum cum Vasquezio requirunt.*

Affirmant Scotistæ cum Scoto apud Fauentinum Theoremate 33. c. 1. *eo quid solum principium passivum si principium motus sine mutationis intrinsecum, quod requiriatur ad naturam, non autem principium actuum, quod per se est tantum principium extrinsecum.*

*Dico 34.* Cum Natura sit Principium & causa motus vel quietis eius, in quo est, primò & per se, nec requiritur determinatè, ut sit principium actuum vel passivum motus, sed sufficit alterutrum ita tamen, ut sit principium causatum non motus intrinseci, sive ad intra, non ad extra, & quidem per se non tantum per accidentis. Hinc materia & forma imò & essentia in abstracto, etiam coelorum, elementorum, & mixtorum propriè & per se est natura. Compositum totum & corpus simplex potius ens naturale quam Natura Aristotelicè definita esse videtur.

### XXXV. AN FORMA ET FIGVRA ARTIFICIALIS SIT MODVS SPECIALIS AB ARTE FACTO RELATIVUS DISTINCTIVS?

Affirmant aliqui apud Arragam lib. 2. physic. *Disput. 6. scit. 2. eamq; formam produci putant non à natura sed ab artifice; distinctam esse sensus Rubrum apud Oñedo Cont. Metaphys. 8. p. 2. n. 10. à praesentia & quantitate parvum.*

Negat tamen communis sententia cum Arrag. Et Oñedo loc. cit. docetq; formam ex figuram artificalem &c. pictura non esse quid distinctum realiter à coloribus eorumq; ex. nescio & obiectione parvum eo modo inter se diffostarum.

*Dico 35.*

Dico 35. Siue artefactum aliquod fiat per additionem siue subtractionem partium siue alio quoecunque modo, forma illius artificialis aliud nihil est, quam extensio, auctoritus & ybicatione certa partium secundum regulas artis, eâ enim positâ, demptis ceteris omnibus ratio figuræ formæque artificialis v. g. picturæ subsistit. idem quoque de figurâ siuali & entitatiua cum Suarezio in 3. p. Disput. 48. seft. 1. auctorandum, quam ab Unione entitatiua non distinguit.

### XXXVI. AN ARS NATURALIS POSSIT FACERE AVRVM?

Affirmat Delrin lib. 2. disquisit. Magicæ, Conimbric. lib. 2. c. 1. q. 7. Lessinus Lemnus lib. 2. de occultiâ naturæ miraculi c. 32. smò tam sapientum factum esse experientia loquuntur.

Negat apud Conimbric. S. Thom. 2. sent. d. 7. q. 3. a. 1. cum AEgidio, Averroë docet, aurum factum fucatum esse, nec nisi adulterinum.

Dico 36. Quamvis Rom. Pontificex Iohannes XXII. in Extraug. reftè dicat: Alchymistæ spondent, quas non habent diuitias; & Diocletianus artis aurifactoriæ libros diligenter conquistos instè flammis damnarit, ut refert. lib. 7. 1. Et. antiq. c. 2. Cœlius, tamen per se impossibile non videtur per artem naturalem aurum fieri posse, cùm longè præstantiora, quam sit aurum, v. g. viuentia applicando actiua passiuiis artis beneficio persape producantur.

### XXXVII. AN ARS MAGICA SIVE DIABOLICA PER SE SUBSTANTIAM PRODVCERE POSSIT?

Affirmat Averroë apud Theophilum Reynaudum Disput. 4. q. 4. a. 1. an. 262. Et seq.

Negant tamen communiter omnes Theologi & Philosophi apud eundem loc. cfr. sed postius à posteriori, quam à priori id demonstrant.

Dico 37. Cùm ordinariè in Angelis bonis aut malis nulla potentia præter intellectuam, volituam & loco motiuam admittatur, nulla autem illarum sit substantiæ productiua; etiâ nullus Angelus per quamcunque artem erit substantiæ productiua per se loquendo, per accidens tamen applicando actiua passiuiis non tantum inanimatam, sed etiam animatam, quin & humanam produci posse à dæmonie etiam extra terum non improbabile iudicamus. Porro pleraque artis magicæ mysteria malus dæmon per suam potentiam loco motiuam ( quæ non in proprio solùm sed etiam extraneo subiecto motum & impulsum producere potest ) applicando actiua passiuiis architeftatur.

---

*Controversia he Physica claram & solidam doctrinam proponentes, nullamq. Orthodoxæ fidei aut bonis moribus controversiam mouentes è pralo ad Scholasticum pralium suo iure gradintur.*

GVLIELMVS LUDOVICVS BENNZ.

SS. Theol. Doctor, eiusdemq. Professor ordinarius, Collegij Theologici pro tempore Decan<sup>o</sup>.

---

*Controversia ista de Corpore Naturali Principiato cùm aliorū sententias eruditè referant: propriam verò doctè & clarè statuant, lucens publicam sine Controversia merentur.*

ADAMVS BVRGHABER SOCIETATIS IESV.

Philosophia Professor ordinarius & protempore Decanus,